



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XII. De informatione patientiæ, & luctamine aduersus
concupiscentias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

Rō. 8. & traire, nec aduertere quid velit caro, &
 2. Cor. 4 quid non velit: sed hoc magis fatagere,
 2. Cor. vt subiecta sit etiam nolens spiritui. Et
 10
 1. Cor. 9 tamdiu castigari debet, & cogi serui-
 tuti subesse, donec parata sit ad om-
 nia, paucisque contentari discat, &
 simplicibus delectari, nec contra ali-
 quod inconueniens mustitare.

CAP. XII.

*De informatione patientia, & lucta-
mine aduersus concupiscentias.*

Heb. 10 **I** DOMINE Deus, vt video, pa-
 tientia est mihi valdè necessa-
 ria: multa enim in hac vita, accidunt
 contraria. Nam qualitercumque or-
 dinauero de pace mea, non potest esse
 1ob 7. sine bello & dolore, vita mea. Ita est
 fili. Sed volo te, non talem quærere
 pacem, quæ tentationibus careat, aut
 contraria non sentiat: sed tunc etiam
 1ac. 1. æstima te pacem inuenisse, cùm fue-
 ris variis tribulationibus exercita-
 tus, & in multis contrarietatibus pro-
 batus.

2 Si dixeris, te non posse multa pa-
 ti, quomodo tunc sustinebis ignem
 pur-

purgatorij? De duobus malis, minus est semper eligendum. Vt ergo æterna futura supplicia possis euadere, mala præsentia studeas pro Deo æquanimiter tolerare. An putas quòd homines sæculi huius, nihil vel parum patiantur? Nec hoc inuenies, etiamsi delicatissimos quæsieris. Sed habent, inquis, multas delectationes, & proprias sequuntur voluntates: ideoque parum ponderant suas tribulationes. Esto, ita sit, vt habeant quidquid voluerint: sed quamdiu putas, durabit?

3 Ecce, quemadmodum fumus *Ps. 67.* deficient abundantes in sæculo, & nulla erit recordatio præteritorum gaudiorum. Sed & cum adhuc viuunt, non sine amaritudine & tædio ac timore, in eis quiescunt. Ex eadem namque re, vnde sibi delectationem concipiunt, inde doloris pœnam frequenter recipiunt. Iustè illis fit: vt, quia inordinatè delectationes quærunt & sequuntur, non sine confusione & amaritudine, eas expleant.

4 O quàm breues, quàm falsæ, quàm inordinatæ & turpes omnes sunt?

Ecclesi.

18.

Pf. 36.

Verumtamen, præ ebrietate & cæcitate non intelligunt: sed velut muta animalia, propter modicum corruptibilis vitæ delectamentum, mortem animæ incurrunt. Tu ergo fili, post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

5 Etenim si veraciter vis delectari, & abundantius à me consolari: ecce in contemptu omnium mundanorum, & in abscissione omnium infimarum delectationum, erit benedictio tua, & copiosa tibi reddetur consolatio. Et quantò te plus ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tantò in me suauiores & potentiores cõsolationes inuenies. Sed primò, non sine quadam tristitia & labore certaminis, ad has pertinges. Obsistet inolita consuetudo, sed meliori consuetudine deuincetur. Remurmurabit caro: sed feruore spiritus frenabitur. Instigabit & exacerbabit te serpens antiquus, sed oratione fugabitur: insuper & labore vtili, aditus ei magnus obstruetur.

CAP.